tantur ferè omnes Marii Antonii Majoragii objectationes contra eundem Nizolium usque in hunc diem editæ. Parmæ apud Septimum Viottum 1553. in 4to. An aliud quippiam in Philosophia præstiterit Nizolius, equidem ignoro: hoc tantum didici, *vertisse Galeni explicationem obsoletarum vocum Hippocratis.* Liber ab eo recognitus, excusus est Venetiis à Juntis cum operibus Galeni Anno 1550. Fuit & alius Parmæ Nizolius, fortasse nostro cognatus, posterior tamen, professione JCtus, cujus allegationes juris de Emphyteusib9 extant excusę Parmæ apud Brudon in quarto, 1603. Arq; hæc quidem de autore non admodum curiosè inquirenti, se obtulerunt, quem credibile est eadem cum Laurentio Vallâ fortunâ usum, cui Grammatici nomen nocuit, effecitque, ne multum animis hominum movendis posset, idem jam ante Petro Abaëlardo, idem Angelo Politiano, Ludovico Viveti, Erasmo, Andreæ Alciato, atque ipsi Jacobo Cujacio, tùm nuper Salmasio, Grotio, &c. ab imperitis objectum est, & multa hujusmodi peculiari in Grammaticos invectiva congessit homo licet ex instituto ac professione sua γραμματικώτατος Maximilianus Sandæus. Quæ quamvis inania deprehendantur, & revera nulli sint magis Grammatici, quàm qui sub venerabili Philosophiæ titulo perpetuas Logomachias serunt, vulgi tamen animis ne nunc quidem satis eximi possunt. Sed & illud obstitisse Nizolii progressibus videtur, quod in Italia scripsit, in qua etiam nunc Aristoteles cum Scholasticis addictiùs regnat. Quid enim Francisco Patricio, quid Cardano, quid Galilæo, quid Apologistæ eius Campanellæ, quid ipsi Johanni Francisco Pico evenerit, notius est, quàm ut recenseri mereatur. Accessit illius seculi ratio in quo veritas incipiebat tantùm velut per ~~rimam~~ rimam sese ostendere & scintillis quibusdam emicare, instar facularum ignearum quæ inter maculas solares nonnunquam ebulliunt, & favillarum quæ cum fumo subvolant. Nostro tempore largior lux; & vel hoc saltem in confesso est, Aristotelem errare posse.

Nunc ad argumentum operis accedendum est, inscripsit autem *de veris Principiis & vera ratione Philosophandi*, titulo, fateor,